DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM
DE MORBIS COXARIIS,
COMPLECTENS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,
Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES HEWSON,
ANGLUS.

Sæpius occultus victa cozendice morbus
Perfurit, et greſſus diro languore moratur.
Q. SEREN. SAMONICUS DE MEDICINA, cap. xxxvii.

Ad diem 25 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1798.

43.

10. 10.

238.

THOMÆ WEBSTER,

REVERENDO QUIDEM,

UTPOTE SINGULA QUÆQUE MUNIA

SACERDOTIS,

AD STOKE,

IN PROVINCIA CESTRENSI,

SUMMO CUM SUO HONORE,

ATQUE ECCLESIÆ EMOLUMENTO

IMPLENTI;

HOMINI NIMIRUM

ANTIQUA VIRTUTE AC FIDE,

HOCCE OPUSCULUM,

QUALE ID CUNQUE EST,

ANIMI CERTE GRATI,

SUMMÆQUE OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM,

LUBENS OFFERT

AUCTOR.

CORRIGENDA.

Pag. 3. line 8. *pro* viribuſque, *lege* vireſque.
6. — 8. *pro* excurret, *lege* excurrit.
22. — 14. *pro* portius, *lege* potius.
22. — 15. *poſt* mutationes haud, *adde* parvas.
23. — 4. *poſt* medicos, *adde* tunc temporis.
24. — 19. *pro* Diſeaſes, *lege* Diſeaſe.
25. — 8. *pro* guidem, *lege* quidem.

Dr. Currie junr. from his
d and well-wisher the
Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE MORBIS COXARIIS

COMPLECTENS.

AUCTORE JOH. HEWSON.

PROŒMIUM.

AUT tollere aut levare nonnulla malorum, quæ ſub formâ morborum genus humanum, a primâ uſque ad noviſſimam ætatem, vexant et opprimunt, præbeat haùd parvam felicitatem medico, cui animus miſericors benignuſque infuerit.

Ad talia conſilia benevola efficienda, ſcientia medica orta fuit, digna et laudabilis, ut ea, quæ laborat perficere, ſunt quàm maximè utilia: atque cognitio etiam leviſſima de re medica ſatis ſuperque demonſtrat, hanc ſcientiam ſumma curâ, diligentiâ, et doctrinâ fuiſſe cultam, iſtis ſaltèm temporibus, quando in methodum, formamque ordinatam medicina redacta fuit.

Status medicinæ, nunc auctus et magnoperè emendatus, debet pro cauſâ gaudii inter eos hodie hanc artem exercentes haberi; namque anatomia, phyſiologia, ſcientiæque aliæ, quæ ad rem medicam ſpectant, ſiquidem nunc curioſiùs tractata atque magis expolita, curationem feliciorem congruamque, ex iſto commercio, quod his cum illa intercedit, poſſint exhibere.

Quod ſi animum ad inventum, mirum et beatum, circuitus ſanguinis, D. Harvey auctore,

tore, advertamus, et reſpiciamus præterea ad indagationem anatomicam, muneraque vaſorum lymphaticorum nunc multò magis nota, D. Monro, Hunter, Hewſon, et Cruickſhank auctoribus, duplex certè origo facile deprehenditur, quâ et ratio et uſus recentiorum additamenta haud pauca acceperint.

Quod ad uſum reſpirationis attinet, viribuſque, quêis perficitur, necnon ea, quæ ex ſtudio, ut vocatur, chemiæ pneumaticæ poſſint oriri, periculum et obſervatio tarda ſed certa poſthac oſtendent. Medici enimverò haud mediocres, qui ad hanc rem nupèr animos deflexerunt, brevi fortaſſè tempore poterunt ſtatuere locum, quem chemia nempè pneumatica inter curantes tenere debet: Interea autem ex hoc quoque fonte ſperamus dignitatem et utilitatem rerum medicarum, ſalutem et felicitatem generis humani, poſſe aliquid incrementi accipere.

Sin deſiderium ſit nobis perquirendi merita inventorum recentiorum, aſſignandique laudes his debitas, inter hujuſmodi diſquiſitionem, ingratum eſſet haud reminiſci beneficia a veteribus nobis tradita; namque uſus horum, quanquam ſtatus medicinæ per omnes ejus partes, hiſce temporibus, innumeris culpis laborabat, videtur attamen fuiſſe idoneus, utpote quod ſæpius felix.

Obſervatio, quæ antecedit, ex curatione veterrimâ, parùm mutatâ, a meipſo aliiſque inſtituta, orta eſt, in quibuſdam coxarum vitiis, quæ quidem ferè ſemper tardiſſimè ſanantur, interdumque nullis omninò auxiliis cedunt: per curationem autem eam jamjam laudandam, pleriſque aliis modis antea fruſtra tentatis, vitia hæc interdum videntur fuiſſe ſublata; exque ſententiâ, eam eſſe aliis feliciorem, ſcripſi diſſertationem inauguralem, quæ ſequitur.

Ratio

Ratio verò hujus quodammodo eſt diverſa ab ea, quæ in hujuſmodi ſcriptis plerumque obſervatur, ſiquidem de morbis duobus, ſcilicet de Iſchiade, et de Coxalgiâ, quæ morbus coxarius ſtrictiùs dictus apud auctores audit, diſſerui: quæ quidem vitia, etſi alterum alteri vicinum ſedet, naturâ ſunt admodùm diſſimilia, ſed auxilium idem in ſtadiis utriuſque certis interdum valet, ideoque meretur uſurpari

HISTORIA

HISTORIA ISCHIADIS.

Pars autem ea, quæ in hoc morbo ſpecialiter laborat, a Cotunnio, in libro ſuo, de iſchiade celeberrimo, merenteque præ aliis attentionem, pro nervo iſchiadico habetur, cujus deſcriptio hic ſubjungitur.

Nervi lumbares, nempè quarti et quinti, unà cum nervis ſacralibus, ſcilicet primis, ſecundis, tertiiſque ſuperioribus anterioribus, plexum formant, poſteaque nervum iſchiadicum, corporis humani ampliſſimum. Rami haud parvi partibus diverſis, quæ in pelve ſedent, mittuntur, nempe veſicæ urinariæ, inteſtino recto, naturalibus quoque, et muſculis coxarum: Truncus autem craſſus, involucro ſuo obvolutus, nunc formatur, qui quidem ſub proceſſum ſpinoſum oſſis ilii, nempè inferiorem poſteriorem, a pelve excurret. Nervus iſchiadicus nunc deorſùm inter tuberoſitatem oſſis iſchii

iſchii et trochanterem majorem deſcendit, ſupra muſculos quadrigeminos dictos, perque partem femoris poſteriorem, et vicinam oſſi, nervos muſculis, ſummæque cuti mittens. Prope poplitem, nomen nempè nervus popliteus huic inditur, ex quo mittuntur.

1*mo*, Ramus amplus, ſcilicit peronæus externus minor, qui paulò infra fibulæ caput, perque partem hujus oſſis exteriorem tranſcurrit, ibique ſummâ cute et telâ celluloſâ ſolummodo tegitur, poſtea mergit ſeſe inter muſculos ad pedem uſque, et denique inter digitos pedis ampliores diſpergitur, ramis ſimul ubique per ſuum decurſum ad muſculos proximos et ſummam cutem diſtributis.

2*do*, Ramus amplior, nempè tibiæus, qui quidem ramos muſculis, ſummæque cuti circà poplitem et genu dat, atque indè progreditur ſub muſculo, ſcilicet, gemello, diſpertitque nervos, muſculis ad partem cruris poſteriorem locatis, ramo,

ramo haùd parvo ſummæque cuti prius ablegato, qui per ſuram deſcendit, petitque pedem extrinſecùs, et partes digitorum minorum ſuperiores. Nervus autèm tibiæus inter muſculos poſteriores pergit currere, donèc pone malleolum internum, et cavum oſſis calcis intrinſecùs progrediens, dividitur in nervos duos plantares. Hi digitis, et muſculis in planta pedis ſitis, diſtribuuntur.

Si originem et diſtributionem nervi iſchiadici conſideremus, profectò haùd difficile eſt intelligere, cauſam quamlibet, hunc vexantem, poſſe totum membrum dolore afficere, præſertim ſi ea in partibus nervi ſuperioribus verſetur.

Sententia, ut opinor, Cotunnii eſt vera, ſiquidem indicia hujus morbi compluria eidem haud repugnant.

A Cullено ut ſequela rheumatiſmi, utque

morbus

morbus tantùm vetuſtus habetur. Ille autèm animadvertit et " lumbaginem et iſchiadem " interdùm eſſe morbos acutos, ſed ſæpiùs " chronicos."

Quod ad iſchiadem attinet, ni fallor, vitium eſt, in exemplis pleriſque omnibus, ex duobus ſtadiis conſtans, nempè acuto, et longinquo: porròque apparet alterum pro ſequela alterius eſſe habendum; aut inflammationem adoriri nervum iſchiadicum, in ea præſertim parte, quam dolor urget, atquè vitium longinquum, niſi idonea curatio ab initio adhibita fuerit, evaſurum eſſe.

Maturiores autèm ævo, florenteſque ætate ſunt maximè omnium huic morbo obnoxii, qui aut ſpontè, aut neceſſitate ſæpiſſimè cœlo vel frigido, vel humido, vel maximè mutabili objiciuntur; ideoquè agreſtes duri apud plebem, iique apud nobiliores, qui exercitationibus validioribus ruſticis, ſcilicet, venationibus

occupantur, præ aliis iſchiade infeſtantur: hæc enim ſæpiſſimè eaſdem cauſas, ac rheumatiſmus, agnoſcit.

Etſi verò a frigore et humiditate hoc vitium ſempèr ferè infertur, nervus attamèn iſchiadicus inflammatione nempè podagricâ poteſt laborare, quod quidèm podagricis interdum incidit. Dolor autèm iſchiadicus ab hâc cauſâ naſcens, ut in quibuſdam podagræ exemplis, interdùm ſuam ſedem ſubitò mutat, et nùnc teſtes ſunt partes, ni fallor, præ aliis paſſuræ. Teſtis autèm alter multo magis altero dolet, et tumet.

Dolore verò inflammationeque deſinentibus, teſtes nòn ſolummodò detumeſcunt, ſed hi, in exemplis hujuſmodi tribus, qui mihimet occurrerunt, multo minores ſolito exſtiterunt, adèo ut is, qui maximè laboraverat, priſtinum ſuum dimidium vix, ac ne vix quidèm, retinebat; undè colligere lubet, hanc eſſe ſequelam communem

munem ex herniâ, ut vocatur, humorali, cauſâ hujuſmodi orienti.

Haùd equidèm ſcio, àn teſtes poſteà increverint, necnè.

Ex quacunque verò cauſa inflammatio nervum iſchiadicum adoritur, dolor vehemens coxam afficit, et ſurſum, et deorſum ſeſe porrigens per totum hujus decurſum, adèo ut æger, quaſi quidam in rebus anatomicis benè verſatus, poteſt accuratè digito indicare curſum, quem nervus ſubter cutem deſcribit; quod quidem a Cotunnio recte animadverſum fuit.

Dolor autem modò apud trochanterem, modò infra maximè ſentitur; ſæpiuſque jam ab initio remiſſiones minimas admittit.

In exemplis hujus vitii gravioribus, febris, comitata pulſu ſcilicet validiore, frequentiore,

fiti, calore cutis multùm aucto, urinâ magis coloratâ, ſupervenit.

Signa quidem nulla, nec tumor, nec rubor, nec calor auctus, extrinſecus indicant vitium adeſſe. Membrum, quod maximè laborat, cum dolore movetur; æger enim vix, ac ne vix quidem, ſuâ ſponte quidquam moliri poteſt.

Per ſpatium autem duarum, aut trium, aut plurium hebdomadum, dolor aliquatenus imminuitur, remiſſioneſque longiores fiunt. Reditus tamen hujus vehementer, ſæpiuſque, haud verò certo circuitu, hominem incurſant.

Reditus verò minus frequentes doloris, torpor, qui membro nunc adeſt, ingraveſcens, videntur indicare vitium in ſtadium ſuum vetuſtum eſſe deſiturum; ægerque, quanquàm dolore iſchiadico adhuc laborat, quadantenùs, ſed ægrè, ad membrum movendum valet.

Quod

Quod ſi auxilia ad morbum diſcutiendum defecerint, claudicatio certè magis minuſve gravis incidit, artuſque in diverſos reſolutionis nervorum gradus abit, quod quidem torpore, muſculis infirmatis, membro marceſcente, greſſuque difficiliore ſatis indicatur.

Dolores quoque, cœlo mutato, haud abſimiles rheumaticis, plerumque membrum afficiunt. Homines, nihilominùs, qui ex anguſtis rebus quamprimùm ad membrum exercendum cogantur, etſi claudicatio dolorque eos infeſtent, plùs minùſve convaluerint; ideoque baculum, primò ingreſſui horum neceſſarium, aliquod poſt tempus deponatur. Claudicatio autem ſæpiùs per ſpatium vitæ totum quodammodò iis permanet.

In quibuſdam hujuſmodi exemplis, artus aliquamdiù affectus magis magiſque ſongitudine decreſcit. Cuidam enim, nunc octoginta annos nato, qui per triginta annos claudicatione

tione ex morbo iſchiadico laboravit, membrum ad pollices ſaltèm quatuor brevius fuit altero: haud attamen conſtat, poſt inquiſitionem curioſiùs factam, juncturas ejuſdem aliquo modo aut lædi, aut disjungi.

Dolor iſchiadicus nunquàm, ut credo, in ſuppurationem definit.

Vitium quidem, uti ſuprà dictum eſt, in claudicationem longinquam, interdùm verò in finem magis infelicem, abit.

Dolor enim vix ſublevatur: Pars pedis ſuperior incipit tumore nempè aquoſo, vel anaſarcâ, affici, magis magiſque ingraveſcenti, donec membrum totum ſimilitèr vexatur: æger in lecto multum ſeſe continet, et nihil levamenti, niſi ex opio copioſè aſſumpto, accipit: tempore procedente aut ſeriùs, aut ociùs, victus dolore et mœſtitiâ interfectus eſt, vel morbi

morbi diverſi æquè ad exitium ſpectantes inferuntur.

Apud Hippocratem verba ſequentia ſatis oſtendunt, hoc vitium, eo tempore, haud ignotum fuiſſe: " Interrogandum inſuper eſt, an " in femore torpores adſint, et ad poplitem " progrediantur; et ſi hoc confiteatur, rurſùs " interrogandum eſt, an et per tibiam ad " ſummum pedem procedant?"

Apud Celſum unicum breve caput extat, in quo neque iſchias, neque morbus coxarius ſpecialitèr memoratur. Ille enim ſolummodò generatim animadvertit, dolores nempè vetuſtos difficillimè tolli, laudatque curationem, iſtis temporibus, adhibitam, ſcilicet inſertionem aut unius, aut plurium fonticulorum, cauterio propè partes laborantes impoſito.

HISTORIA

HISTORIA COXALGIÆ;

SIVE,

MORBI, STRICTIUS DICTI, COXARII.

Nunc quædam de coxalgiâ ſæpiùs quàm graviſſimâ dicenda ſunt: Ea enim nimis frequentèr declarat medicos ad ejus repugnandas incurſiones minimè valere.

In hoc vitio dolor coxæ adeſt, diverſus autem ab eo, de quo agitur, ſiquidem is plerumque minus vehemens initio, ſed magis profundus, ſentitur, gradatìm ingraveſcens, atque coxendicis articulus ſpecialitèr laborat.

Dolor nihilominùs ſæpiùs propè genu ita gravis ſævit, ut curantes interdum fallantur, opinantes vitium ibidem ſedere, nullo verò affectu ibi loci deprehenſo, oportet curioſiùs perquirere, an articulus coxæ laborat, necne.

Dolor,

Dolor, ut credo, nunquam, ut in iſchiade, ad extremum pedem deſcendit.

Inflammatio nunquàm, tumor coxendicis rariſſimè, in hoc vitio extrinſecùs ſeſe oſtendunt: Quod verò ad tumorem attinet, ni memoria multùm me fefellerit, ſub initio etiam morbi, is, ſed plerumque minimus, interdum poteſt deprehendi. In exemplis autem ferè omnibus, depreſſio eſt clunis, ſimulque membrum fit longius macriuſque, quæ quidem, altero cum altero comparato, facile dignoſcantur.

Si quando vitium ſemel ſeſe oſtenderit, idem nimìs ſæpè increſcit.

Dolor attamen interdum pro tempore ſæviens, magis magiſque incipit ſponte diminui, tandemque omninò deſinit, præſertim ſi æger vehementiâ hujus multùm decumbere cogatur,

et ſi res aliæ faveant, et claudicatio, et debilitas plùs minùſve abeunt.

Convaleſcit quoque totum corpus, quod quidem ſemper malè afficitur, modò ante, modò paulò poſt partem ſpecialiter laborantem. Hoc autem in exemplis ſolummodò lenioribus incidit; atque in his quidem et ægrè et tardè ad ſua priſtina munera membrum valet, et nimis frequenter ex cauſis etiam leviſſimis recrudeſcit.

In exemplis verò gravioribus, dolor circa coxæ articulum ingraveſcit, membrumque, priùs longiùs productum, nunc brevius evadit. Suppuratio fit, ſeſe extrinſecùs oſtendens interdum ad inguen, interdumqùe ad partem ſuperiorem coxendicis, atque pus, aut ſerius, aut ocius, vel ſponte, vel arte exit. Quod ſi hiatus pus exire haud facile ſinat, æger profectò fit obnoxius ex hujus coacervatione doloribus vehementiſſimis. Id enim cavum pelvis

vis interdum intrat, ut ſtercus nempè purulentum, exinde dejectum, ſatis demonſtrat.

Fragmenta oſſis carioſa haud infrequenter tunc temporis vulnere exeunt.

Proclivitas quædam ad febrem nempè hecticam citiùs ſeſe oſtendit; ſed formam magis perfectam nunc ea accipit, malis graviſſimis comitata, quæ quidem exitium ægri miſerrimi maximè accelerant, ideoque ſuppuratio pro malo peſſimo poteſt haberi, et vitium, et periculum quàm maximè augens.

Ægri nihilominus interdum ex ſtadio ſuppuranti convaleſcunt, membro quidem plùs minùſve contracto: fiſtulæ modò ſanantur, modò per multos annos pus ex his effluit. Articulus coxæ carie diù infeſtatus, nunc anchyloſin admittit, magis magiſque firmitate et ſpatio creſcentem, ita ut æger quotidie convaleſcens, tum demùm incedere incipit, et mem-

brum antehac laborans valet quodammodò ad pondus corporis ſuſtinendum, et robur hujus quoque exercitatione nimirùm haud nimis vehementi augeſcit.

Finis verò hujuſmodi plerumque junioribus incidit, ſiquidem ſeniores, ſuppuratione factâ, ſemper ferè pereunt.

Coxalgia ſæpiſſimè pueros adoritur; exempla attamen, ſed pauciora, hominum ſic laborantium haud deſunt.

Plerique omnes ſic vexati, aut parentibus ſtrumoſis nati fuerunt, aut indicia ſtrumoſa plùs minùſve manifeſta adſunt iis coxalgiâ jam affectis: ideoque probabile eſt, vitium hujuſcemodi ſemper verè ſtrumoſum poſſe haberi.

Obſervatio, quæ ſequitur, apud noſologiam D. Cullen ſubpoſita eſt, Gen. xxv. nempè Arthropuoſi. " Cum neque rheumatiſmum,

" neque

" neque podagram in apoſtema unquàm abire " credo; hic morbus ab utroque certe diverſus " eſt, ideoque pro genere peculiari recenſen- " dus. Utinam character, ad eum a rheuma- " tiſmo, arthrodyniâ, arthrocace, et phlogoſe " diſtinguendum, ubique ſatìs certò adhiben- " dus, dari poſſet." Ut membrum longiùs primum eſt productum, contractioque hujus poſtea ſæpiſſimè poteſt animadverti, quæritur num optatum D. CULLEN, quatenus ad arthropuoſin coxæ articuli ſpectat, poſſit impleri indiciis duobus jam memoratis additis; an ſequens definitio accipi poſſit? " Dolor circa coxam " articuli interdum poſt contuſionem, profun- " dus, obtuſus, diuturnus; tumor vel nullus, " vel modicus, et diffuſus; phlogoſis nulla; " pyrexia primum lenis, tandem hectica; et " ſimul partis apoſtema," cruri ſæpius ſub morbi initio aliquatenùs producto, poſteaque contracto.

PATHOLOGIA VITIORUM.

De Iſchiade modò indicavi, inflammationem nervum iſchiadicum afficientem pro cauſâ proximâ eſſe habendam, et ſæpiſſimè cauſas haud diſſimiles iis rheumatiſmi, nempè frigus et humiditatem, facere morbum, porròque eundem poſſe laborare quoque inflammatione ſcilicet podagricâ.

His perpenſis, pathologia hujus vitii poteſt quodammodò excogitari: exempla enim cadaverum ab iſchiade mortuorum et inciſorum ſunt pauciſſima, atque ratio ex his etiam collecta vix, ac ne vix quidem, difficultates tollunt, ſiquidem neceſſe eſt recordari, hæc portiùs effectus quàm morborum cauſas oſtendere, mutationes haud ſæpiſſimè poſſe inferri partibus inflammatione vexatis, muneraque nervorum adhuc minimè explorata eſſe.

Sententia

Sententia D. Cotunnii, qui poſuit aquam eſſe effuſam in nervi iſchiadici involucrum, argumentaque ejus, quæ pathologiâ humorali inter medicos prævalenti nituntur, hodiè nullum habent locum. Sententia attamen haud ex toto probabilitate caret; præſertim ſi effectus hujuſmodi pro ſequela inflammationis poſſit haberi: ſic enim fluidum intrà involucrum effuſum, vel vi diſtenſionis, vel fortaſſè naturâ ſuâ propriâ, vitium longinquum poſſit inferre; quod quidem, donec reabſorptio hujus vel naturâ, vel arte potuerit effici, permaneat.

Inter effectus autem diverſos, qui ex inflammatione, præſertim partium naturâ ad ſuppurationem haud proclivium, oriuntur, oportet recordari ſenſibilitatem præter naturam auctam, et morboſam, inflammatione primariâ jàm deſinente, adhuc permanere, ita ut nervus, parteſque cui diſtribuitur, fiunt obnoxia malis, quæ a dolore diu ſtabili et haud abeunte oriuntur.

Res

Res haud diſſimilis fibræ muſculari accidit, quæ quidem poſt rheumatiſmum nempè acutum, diu dolore afficitur, et ægre motum admittit, inflammatione priori jam diſcuſſa.

De Coxalgiâ.—Cadavera inciſa ſæpiſſimè oſtendunt, oſſa, quæ formant coxendicis articulum, carie laborare; quod quidèm, ut nonnulli opinantur, hoc vitium jàm ab initio, et quàm citiſſimè, comitatur.

Apud D. Ford, eximium auctorem, ſententia hujuſmodi poſita eſt, à caſu J. Welch præcipuè deducta, ſcilicet: "That a morbid ſtate "of the cartilages and bones which form the "hip-joint, is the real origin and efficient "cauſe of the whole train of alarming ſymptoms which accompany the diſeaſe, from its "earlieſt appearance to its ultimate termination*."

Hâc

* *Vid.* Ford on the Diſeaſes of the Hip-joint, p. 25.

Hâc autèm de re mihi quodammodò dubitare licet, necnòn componere cum ſententiâ D. Ford exemplum ſequens à D. Haen memoratum. Glandula nempè innominata in hoc caſu ſatis manifeſtè, et ſpecialitèr, et ſolummodò afficiebatur, ſiquidèm auctor nullam mentionem de oſſium carie fecit, quod guidèm, ſi talis adfuiſſet, vix ſilentio præteriſſet.

" Puer ſex cum dimidio annorum ſub ludi-
" bundo pedum exercitio dolorem percepit ad
" coxam dextram, cui brevi poſt tumor ac-
" ceſſit. Trium, aut forte quatuor menſium
" ſpatio, hæc ita perſeverarunt, abſque eo,
" quod crus longius, breviuſque, adparuerit.
" Deindè verò ad duos circitèr digitos latos
" brevius redditum eſt. Vix ſeptem menſibus
" ab origine morbi elapſis, diarrhœâ, febre,
" convulſione, periit. In cadavere vidimus
" caput oſſis femoris ad crepidinem ſuperiorem
" acetabuli locatum. Ligamentum teres om-

" ninò desiderabatur. Tumida admodùm
" glandula in cavo acetabuli, ut caput ossis
" femoris intra illud excipi ultrà non posset.
" Mira igitùr contorsio, et indè nata inflam-
" matio primùm adfuisse videtur, cum subse-
" quente degeneratione Haversiani smegmatis,
" cum erosione atque consumptione tùm liga-
" menti teretis, tum ligamenti dicti ad teretem
" accessorii, ex cavo acetabuli enati. Undè
" demùm caput ossis femoris ex cotulâ trudi
" cœptum, crus sensim brevius redditum, et
" integrâ sed extensâ adhuc capsulâ, idem ca-
" put ossis ad superiorem cavi acetabuli mar-
" ginem applicatum."

Exemplum quoque sequens sententiæ D. Ford videtur repugnare. Puer anno ætatis undecimo, post exercitationem querebatur dolorem coxæ, et aliquid sèd quàm maximè levis claudicationis sese vexare; corpus verò alioquin erat sanum. Affectus per plures hebdomadas nunc permanserat. Corpus nimis citò crescens pro causa à parentibus habitum

est

eſt, qui ſperabant vitium ſponte deſiturum eſſe. Hoc autèm non incidenti, inquiſitio de cauſâ hujus fuit neceſſaria. Puer quidem ex hoc conſilio haùd exiguum ſpatium ingreſſus eſt, dolore minimo, claudicationeque vix diſcernendâ. Notæ attamèn coxalgiæ quodammodò aderant; tumorque præterea ad inguen ſiniſtrum deprehenſus eſt, expers coloris, haùd à tactu dolens, fluidumque manifeſtè continens. Certum erat, his perpenſis, ſuppurationem verſari profundam, materiemque tumorem facientem ex parte interiori veniſſe. Tumor inguinis creſcebat. Tempore procedente, indicia morbi manifeſtiora ſeſe oſtendebant, membro ſcilicet primùm aliquatenùs producto, poſteaquè contracto. Tumore aperto, multum puris ſinceri, haùd graveolentis exibat. Sub finem anni ſecundi anchyloſis articuli coxæ fiebat.

Ex hoc autèm exemplo collegerim, fluidum nequè ex cavo articuli affluxiſſe, nequè à carie

offium generatum fuiſſe, ſiquidèm dolor, ut jàm dictum eſt, initio erat quàm levis, atque corpus totum tùm demùm afficiebatur, quandò vitium graviſſimè vexabat. Certum eſt nihilominùs cariem offium tandèm extitiſſe. Hic autèm quærere licet, àn ligamentum articuli, vel glandula innominata, vel oſſa ipſa in diverſis hujuſmodi exemplis primitùs laborent? An varietates hujus morbi quædam poſſint oriri, plùs minuſvè difficiles curatu, proùt partes diverſæ primitus patiuntur? An denique curatio diverſa debet inſtitui, ſi hoc ipſum exploratum fuerit?

Quod ad quæſtionem primam attinet, cadaveribus inciſis, articulus ipſe, parteſque vicinæ, ſempèr fabricam ita mutatam et corruptam oſtendunt, ut omnis inquiſitio vana eſſe videatur; et exempla pauciſſima nobis tradita ſunt, ubi ægri ab aliis cauſis, morbo nempè coxario incipienti, interfecti fuerunt.

Quod ad ſecundam, jure dubitari poteſt, an curatio alia debet fieri, utpotè quòd morbus naturâ reapſè haud eſt diverſa, etſi afficiat partes, quæ fabricâ ſolummodò differunt.

Quodſi partes primò laborantes penitus perſpexerimus, melius profectò de vitii prognoſi, quàm, ut mihi videtur, curatione judicare poterimus.

DIAGNOSIS.

Iſchias.—Poteſt diſcerni ex dolore ſubitò incurſante, jàm ab initio vehementiore, ſpecialiterque hoc ipſo haùd in genu immorante, ſed ad extremum pedis ſeſe uſque porrigente.

Coxalgia.—Ab iſchiade, et abſceſſu lumbari, quem quodammodo refert, plerumque diſtingui poteſt. Membrum autèm, ut modò dictum eſt, ſempèr ferè ab initio aliquatenùs productum,

tum, marceſcens, poſteaquè contractum, dolor circa coxæ articulum à motu ingraveſcens, unà cùm dolore, interdum propè genu ſine affectu hujus morboſo, ſatis clarè oſtendunt morbum adeſſe.

Abſceſſum verò lumbarem, indicia hæcce plerumque comitantur. Senſus quaſi infirmitatis in lumbis, propè muſculi originem pſoadis ſedentis; ſimulque dolor, ipſe levior, à preſſu quodammodo augetur, quandò digiti his partibus curioſiùs admoti fuerint.

PROGNOSIS.

Multum quidèm ambiguitatis prognoſin horum vitiorum obſcurat. Certum eſt verò multò minùs periculi in *iſchiade*, quàm in coxalgiâ ineſſe, præſertim ſi curatio juſta ab initio morbi, ſèu ſtadio nempè inflammatorio adhibita

adhibita fuerit : quodſi vitium in ſtadium vetuſtum proceſſerit, prognoſis certè minùs fauſta, et magis incerta evadit, ſiquidèm nimis frequentèr plus minùſve claudicationis incidit, quæ quidèm vix medicinam admittit. Quod ad *coxalgiam* attinet, ſiquidèm auxilia quocunque de genere ſæpiſſimè haùd valeant diſcutere morbum incipientem, prognoſis plerumque eſt mala, ætate præſertìm provectioribus ; hi enim præ aliis periclitantur, ſæpiùſque, ſuppuratione factâ, opprimuntur. Inter pueros autèm vitium medicinam magis frequentèr admittit. De his verò eſt judicandum ab indiciis plùs minùſve ſævientibus, atque a vi quâ ſtruma corpus infeſtat. In exemplis autèm mitiſſimis, prognoſis fit dubia et incerta.

CURATIO

CURATIO.

Auxilia quidèm compluria, ab auctoribus multùm laudata, in mentem veniunt; de eorum verò paucis, iiſdemque maximè comprobatis, neceſſe eſt, ut opinor, mentionem jam fieri.

Inter initium *iſchiadis*, cùm primùm coxam dolor vexat, oportet curationem haùd ei diſſimilem, quæ in aliis affectibus inflammatoriis obſervatur, adhiberi.

Miſſio ſanguinis per hirudines, aut cucurbitulam cum ferro, partibus dolentibus admotas, ita debet fieri, ut ſanguis uſque ad uncias decem aut duodecim hoc illove modo detrahatur. Si hirudines adhibeantur, aut duodecim, aut quatuordecim debent partibus admoveri, exituſque

exituſque ſanguinis per linteum ex aquâ calidâ compreſſum poteſt, ſi opus erit, adjuvari.

Si partes circa coxam dolentes febrem generalem excitaverint, detractio ſanguinis ad hanc diſcutiendam debet e brachio fieri : Dolore autèm levato, detractione nempè ſanguinis, ſivè ex partibus laborantibus, ſive ex brachio factâ. Epiſpaſtica, quæ maximè ad inflammationem profundiorem diſcutiendam valeant, debent partibus laborantibus ſuperimponi, morſibus nempè hirudinum priùs emplaſtro adhæſivo obductis.

Quod ſi nulla doloris mitigatio detractionem ſanguinis ſequitur, oportet profectò hirudines iterùm atque iterùm admovere, donèc is quodammodò levatur. Veſicatorium tùm demùm poteſt ſuperimponi ; hoc enim magis certè proderit, ſanguine copioſè detracto, doloreque quodammodò priùs levato ; prætereàque ſi ad

dolorem diſcutiendum parum valuerit, hirudines non niſi aliquantò poſt admoveri queant.

Quod ad auxilia externa attinet, ea nùnc memorata maximè omnium initio morbi pollent, atquè in exemplis hujuſmodi gravioribus præ aliis merentur uſurpari; utpotè quòd, ni fallor, embrocationes ſpirituoſæ, linimenta volatilia, fomenta, cataplaſmata ſtimulantia, et emplaſtra ex opio confecta, quanquàm à medicis præcepta, et adhibita, haùd attamèn ſatis valent ad vitium tollendum: contrà quidèm, hoc, talibus auxiliis ſolummodò levatum, longum, difficiliuſque curatu jàm ſubiturum eſt; ideoquè potiùs utendum eſt iis, ut jàm diximus, quæ quàm maximè contra inflammationem profundiorem pollent.

Quod ad auxilia interna pertinet, oportet alvum liberiùs dejicere purgantibus, præſertim ſalinis, nempè, ſoda vitriolata, ſoda tartarizata, lixiva vitriolata ſulphurea, cremore tartari

tartari aut electuario ſennæ ; hæc enim ſatis ſolvunt alvum, corpuſque haùd nimium incitant.

Opium eſt auxilium quàm maximè utile et valens, aut aſſumptum ad dolorem levandum, aut cùm preparatis ex hydrargyro, et ſtibio miſtum, ad ſtatum ſcilicet corporis mutandum. Si quandò opium ſolummodò ad dolorem levandum exhibeatur, hoc profectò ſub formâ enematis commodiſſimè uſurpatur, addendo ſcilicet guttas 40 aut 50 aut 60 tincturæ opii unciis circitèr duabus mucilaginis tenuis ex amylo preparatæ.

Auxilium hujuſmodi, dolore urgente, debet ſubindè repeti, curâ autem habitâ, ut alvus ſimùl quotidie ſolvatur, quo faciliùs opium quàm maximè valeat, atque incommoda, quæ ex alvo ſuppreſſâ oriuntur, evitari poſſint.

Quod ſi utendum eſt opio ad ſudorem eli-

ciendum, id profectò evadit auxilium in hunc finem valentiſſimum, vel cum radice ipecacuanhæ tritum, ſub formâ pulveris, ut vocatur, doveri, vel antimonio tartarizato commiſtum, doſibus adhibitis parvis, donec ſudor eruperit. Sudor enim et commodè, et ſalutaritèr pollet diſcutere morbum, ſi is ſatis diu effundatur, atque idoneè procuretur; ſiquidèm, in hujuſmodi ſtatu, ſanguis ad ſummam cutim, et magis extrinſecùs propellitur, impetuſque hujus ad partes laborantes imminuitur; undè excitatio, actioque aucta, quæ iiſdem adſunt, et inflammatio deniquè ipſa tolli poſſint.

Curatio quidèm iſta, quæ à D. Fothergill præcipitur ad lumbaginem diſcutiendam, ſcilicet, calomelanos in doſibus parvis, cum hauſtu, horâ decubitûs, ex opio et vino antimoniali parato, aſſumpta videatur eſſe commodiſſima ad iſchiada tollendam, ſi auxilia externa jâm memorata cum his fuerint conjuncta.

Quod

Quod ſi auxilia nunc laudata ad vitium ſanandum, inter ſtadium iſtud, quod faciliùs medicinam admittit, defecerint ; eſt certè medici conſiderare, quæ valeant diſcutere morbum, in ſtadio hujus vetuſto.

Medici haud mediocres, hodie medicinam felicitèr exercentes, curationem a D. Cotunnio laudatam adhibent, ſcilicet, applicationem veſicatorii ad fibulæ caput, ubi nervi iſchiadici ramus ſupra hanc tranſcurrit ; undè interdum non levamentum ſolum, ſèd ſanatio etiàm vitii ſequatur.

Certum eſt verò auxilium hujuſmodi ſæpius fruſtrà adhiberi ; quamobrem, curationem iſtam a veteribus in omnibus ferè vetuſtis vitiis uſurpatam, ſcilicet, fonticulum quàm proximè ad partes dolentes excitatum maximè laudaverim.

In hunc finem, maſſa ex calcis vivæ recentèr uſtæ, ſaponiſque mollis partibus æqualibus,

poteſt

poteſt formari, paululùmque hujus ad partem maximè dolentem, ferè ſempèr in nervi iſchiadici decurſu, propè trochanterem majorem, debet admoveri. Actio verò cauſtici medicamenti, more ſolito, coercenda eſt, portionibus nempè emplaſtri adhæſivi ſupra alutam extenſi, atque ita diſpoſitis, ut caro inuſta ſpatium haùd ampliùs ſolido deſcribat. Neceſſe eſt porrò, cauſticum per horas aut ſex aut octo permanere parti illigatum; hoc verò ſummoto, lavanda eſt pars aquâ calidâ, poſteaque tegenda eſt eadem unguento cujuſvis generis molli, donec caro uſta ejecta eſt; quo quidèm facto, impedienda eſt ulceris ſanatio per phaſeolum, aut fruſtulum radicis gentianæ, aliave id genus, ità ut pus poſſit ſecerni, et excitatio quædam propè partem primitùs dolentem fiat. Si aliquid boni ſeptimanâ aut ſextâ aut ſeptimâ efficiatur, ſperare liceat curationem nunc inſtitutam poſſe reſpondere.

Quod ſi nihil boni, hebdomadâ, aut octavâ, aut

aut nonâ ſentiatur, jure profectò timeri poteſt, curationem fore quàm maximè difficilem, et dubiam.

Cum ſtatus corporis eſt debilis, mobilitaſque ingens aut ſeriùs, aut ocius ex dolore diu permanente naſcitur, auxilia roborantia fiunt neceſſaria, ut cortex peruvianus, ferrum, amara cum exercitatione, et cibus, potioque validioris generis, caro nempè et vinum. In quibuſdam attamen conditionibus corporis debilibus, mobilitas ita ingens adeſt, ut cibus, potuſque, quàm parciùs aſſumi debeant; calor enim auctus, febris, et excitatio corporis maximè moleſta citiùs ex his inſequuntur. In exemplis autem hujuſmodi, cicuta aut ſola aſſumpta, aut doſibus pulveris antimonialis parvis commixta, hauſtuſque effervescentes ſalini ſunt auxilia benè ſedantia.

Ratio victus ex farraceis, et oleribus glutine vegeto-animali abundantibus, aliiſque id genus

nus quæ corpus cum parva excitatione ſatis nutriant, debet præcipi.

Balneum calidum, aut parti laboranti, aut toti corpori admotum, reſinoſa, olea eſſentialia, balſamaque ſtimulantia, et intrinſecùs, et extrinſecùs, interdum uſurpantur; haùd tamen ita felicitèr ut cogitationem ſpecialem mereantur.

Quod ad *coxalgiæ* curationem attinet, auxilium modò memoratum, utpotè valens diſcutere iſchiadem longam, iterùm laudaverim, ut valdè pollens ad coxalgiam tollendam, quod quidem quamprimum poſtquam indicia vitii ſeſe oſtenderint adhiberi debet: Præceptum enim illud medicum, " Principiis obſta," hic neceſſe eſt ſpecialitèr reminiſci, namque fonticulus, auxilii cauſâ, nullum habet locum, in ſtadio hujus vitii longinquo: Exitus enim, cui quidèm per hoc velimus repugnare, eſt proclivitas quædam ad ſuppurationem, quâ incidente,

non

non claudicatio ſolùm, ſed mors nimis frequentèr ægro illata eſt.

Cauſticum medicamentum ſuperimponendum eſt quàm proximè articulo laboranti, atque curandum eſt, ut pus, excitatioque quædam, ut ſuprà dictum eſt, fiat.

Si quæritur, quâ ratione auxilium hujuſmodi poteſt in vitiis duobus ità diverſis pollere? Illud tantùm reſpondere habeo, theoriâ generaliori admiſſâ, dolorem nempè propè partem vexatam diutiùs durantem, poſſe eum arcere, qui ex morbo ipſo oriatur; undè excitatio et actio vaſorum morboſa partis laborantis paulatim minuantur, et denique omninò abeant; undè quoque oportet, ut opinor, excitationem quandam quàm proximè articulo debere ineſſe, et pro tempore ſatis longo ſuſtineri

Ut conditioni corporis ſtrumoſæ poſſit occurri

curri, neceſſe eſt adhibere, quæ ſunt huic conſilio maximè idonea: Inter ea poſſumus enumerare aquam marinam, corticem peruvianum, cicutam, terram ponderoſam in acido muriatico ſolutam, cibum lautiorem, exercitationem, veſtimenta et cœlum calidiora, necnòn omnia, quæ corpus denſant, et exhalationem per cutim lenitèr et æquè promovent. Lavatio maritima diu et meritò pro auxilio magnoperè valenti, et arcere et diſcutere ſtrumam habita fuit.

Experientia verò videtur docere, auxilium hujuſmodi, ipſo præſertim initio morbi, et parùm calefactum debere uſurpari, namque lavationem frigidiorem, D. Ford teſte, nocuiſſe iis tali remedio utentibus, curâ ſuprà memoratâ haud obſervatâ.

Quod ſi lavatio maritima fieri nequit, balneum certè aquæ fluvialis cum ſale communi commiſtæ debet parari, in quod, ad gradum circitèr

circitèr octogeſimum calefactum, æger poſſit deſcendere, ibique remanere per ſpatium aut quindecim aut viginti momentorum; lavatioque hujuſmodi ter quaterve inter ſeptimanam adhibeatur.

Exercitatio vehementior minime poteſt ferri, in ſtadiis ſaltem certis hujus vitii; ea autem lenis, nempe jactatio corporis ſub dio per funiculum, aut per tabulam tenuiorem vi reſiliendi præditam prodeſt.

Cortex peruvianus, atque amara, in omnibus morbi ſtadiis ſatis commoda ſunt, ſiquidem actione ventriculi excitatâ, concoctioneque adjuta, corpus et melius et copioſius alitur, ideoque roboratur.

Quod ad vires cicutæ, et terræ ponderoſæ nempe ſalitæ attinet, multum eſt dubii utrum ſtruma per hæc, an per naturam ipſam, levata fuerit; certum enim eſt, ſtrumam quibuſdam temporibus

temporibus anni ſæpiſſime, nullo adhibito auxilio, aut levari, aut prorſus deſinere. Sin fonticulus ſuppurationi haùd valeat occurrere, experientia ſaltem videtur ſuadere, curantes debere quam maxime curatione abſceſſus abſtinere, eamque ſolummodo, jam laudatam, nempe roborantem adhibere, quo facilius malis ex pure abſorpto orientibus repugnetur, et vires corporis augeantur.

Occurrendum quoque eſt preſſui, per medium corpus facto, ad articulum vexatum, nempe decubitu ægri, ut excitatio moleſta et maxime noxia poſſit tolli, et accretio oſſium, quæ articulum formant, promoveri. Hæc quidem res eſt haud levis momenti, mereturque curam præcipuam per omnia hujus vitii ſtadia, utpote quod ægri, ni fallor, qui dolore vehementiore, initio morbi incidente, coacti fuerunt quieſcere, interdum ex naturæ viribus convaluerint.

Opium

Opium poteſt auxiliis, de quibus feci mentionem, annumerari, ad dolorem ſcilicet levandum, et ſomnum conciliandum; itaque, ut opinor, remedia, quæ maxime omnium ad hoc vitium diſcutiendum pollent, jam memoravi; et dubito quidem an feliciora adhuc deprehenſa fuerint.

FINIS.

BRITISH MUSEUM